

Momentum I.

Consensus inter focios A. C. & Reformatos circa doctrinam de Persona Christi in Alloquio prorsus insufficienter est enarratus.

ΕΚΘΕΣΙΣ.

§. I. **I**N Alloquii ad Protestantes Artic. V. p. 8. ita scribitur: *Jam hisce praemissis probandum venit, articulos illos praecipuos, in quibus Protestantes dissentiunt, fidei fundamentum prorsus haud tangere. Sunt autem hae controversiae praecipue tres, de persona Christi, de praedestinatione & de Epulo sacro. Dicamus primum, quis circa personam Christi consensus, quis dissensus sit. Consentiant hic Protestantes, duas esse in Christo naturas, divinam & humanam, personali unione conjunctas, qua naturae haud confundantur, vel essentiales earum proprietates aboleantur, nec persona dividatur; atque hanc Christi Θεοῦ ὁμοῦ πρὸς personam omnisciam, omnipotentem, omnipraesentem, adorandam esse, passiones item Christi, quas sustinuerit, infiniti valoris ad redimendos homines esse. Varia ante omnia hic circa antecedentia notanda:*

I. *Praemissa, ad quae provocatur, lubrico satis esse fundamento hinc inde superstructa. Quomodo enim probabitur, unionem ecclesiasticam, cessante spe unitatis, in doctrina & fide, omnibus modis esse curandam, & talem quidem, qualis Articulo I. delineatur, ubi Scriptura aliud longe severe injungit, & Reformati fidem nostram amplecti recusant? quod disertis verbis profitetur JO. AL. TURRETINVS in disquis. de Articulis fundamentalibus C. XX. p. 45.*

II. *Unionem talem Syncretismo tam similem esse, ut ovum ovo, ut frustra sint, quae Artic. II. de eo fugiendo, caeteroquin in thesi satis bene, monentur: neque extremitates ibi allatae in hypothesis locum habebunt.*